

MODUS ADMINISTRANDI  
SACRAMENTUM

BAPTISM I.

*Sacerdos faciem suam ad orientem vertens, baptizandum masculum à dextris suis, facnellam à sinistris ponat: Et si adultus sit, quærat ab eo, An velit baptizari? si infans, aut loqui impotens, quærat à patrinis, ut sequitur.*

*Sacerdos signando se Cruce dicat:*

*In nomine Patris, † & Filii, † & Spiritûs † sancti. Amen.*

*Quærat. Begehret ihr, daß dies Kind getaufet werde? Resp. Ja Herr.*

*Sac. Gebet dem Kinde einen Christlichen Namen. Quo intellecto pergat.*

*Q. Widersagst du dem Teufel?*

*R. Ich widersage.*

*Q. Und allen seinen Werken?*

*R. Ich widersage.*

*Q. Und aller seiner Pracht?*

*R. Ich widersage.*

*Q. Glaubest du in Gott Vater, allmächtigen Schöpfer Himmels und der Erde?*

*R. Ich glaube.*

*Q. Glaubst du in Jesum Christum seinen einigen Sohn, unseren Herrn, der geboren ist und gelitten hat?*

*R. Ich glaube.*

*Q.* Glaubst du in den heiligen Geist, eine heilige allgemeine Kirche, Gemeinschaft der Heiligen, Vergebung der Sünden, Auferstehung des Fleisches und ein ewiges Leben?

*R.* Ich glaube.

*Tum exsufflet Sacerdos ter in faciem baptizandi, dicens:*

1. Exi Sathana, da honorem Deo vivo & vero.
2. Exi immunde Spiritus, da honorem Filio ejus Jesu Christo Domino nostro.
3. Fuge immunde spiritus, da locum Spiritui Sancto Paracleto.

*Deinde dicat: Pax tecum.*

*R.* Et cum spiritu tuo.

*Tum pollice faciat signum Crucis in fronte & pectore infantis, dicens:*

Signum Crucis † Domini nostri Jesu Christi in frontem tuam pono.

Signum Crucis † D. N. J. C. in pectus tuum pono.

*Sacerdos manum super caput baptizandi ponens, dicat:*

Dominus vobiscum.

*R.* Et cum spiritu tuo.

*In sequentibus Orationibus genus masculinum pro sexus diversitate mutandum est in femininum.*

### O r e m u s.

**O**mnipotens sempiterne Deus, Pater Domini nostri Jesu Christi, respicere dignare super hunc famulum tuum (N.) quem ad Rudimenta Fidei vocare dignatus es; omnem cecitatem cordis ab eo repelle; dirumpe omnes laque-

laqueos diaboli, quibus fuerat alligatus, aperi Domine januam pietatis tuæ, ut signo sapientiæ tuæ imbutus, omnium cupiditatum fœtoribus careat & ad suavem odorem præceptorum tuorum lætus tibi in Ecclesia tua deserviat, & proficiat de die in diem, ut idoneus efficiatur accedere ad gratiam Baptismi tui perceptâ medicinâ spirituali. Per eundem Christum Dominum nostrum, R̄c. Amen.

*O r e m u s.*

**P**reces nostras quæsumus Domine clementer exaudi, & huñc famulum tuum (N.) Crucis Dominicæ, cuius impressione eum signamus, † virtute custodi; ut magnitudinis gloriæ tuæ rudimenta servans, per custodiam Mandatorum tuorum ad regenerationis gloriam pervenire mereatur. Per Christum Dominum nostrum. R̄c. Amen.

*Si sal die Dominica consecratum non superfit, consecretur hic, dicendo:*

Exorcizo te creatura salis in nomine Dei Patris † omnipotentis, & in charitate Domini nostri † Jesu Christi & in virtute Spiritûs † sancti. Exorcizo te per Deum † vivum, per Deum † verum, per Deum † sanctum; per Deum qui te ad tutelam humani generis procreavit, & populo venienti ad credulitatem per servos suos consecrari præcepit, ut in nomine sanctæ Trinitatis efficiaris salutare Sacramentum ad effugandum inimicum. Proinde rogamus te Domine Deus noster, ut hanc Creaturam salis sanctificando † sanctifices, benedicendo †

benedicas, ut fiat omnibus accipientibus perfecta medicina, permanens in visceribus eorum, in nomine Domini nostri Jesu Christi, qui venturus est judicare vivos & mortuos. Et sæculum per ignem.      R. Amen.

*Deinde nominato nomine baptizandi mittat modicum salis in Os, dicens:*

N. accipe salem sapientiæ, ut propitius sit tibi Dominus noster Jesus Christus in vitam æternam.      R. Amen.

*Sac. Pax tecum.*

*R. Et cum spiritu tuo.*

*O r e m u s.*

**D**eus Patrum nostrorum, Deus universæ Conditor creaturæ, te supplices exoramus, ut hunc famulum tuum (N.) respicere digneris propitius, ut hoc primum pabulum salis gustantem non diutius esurire permittas, quo minùs cibo repleatur cælesti, quatenus sit semper, Domine, Spiritu fervens, spe gaudens, tuo semper nomini serviens: perduc eum, quæsumus Domine, ad novæ regenerationis lavacrum, ut cum fidelibus tuis promissionum tuarum æterna præmia consequi mereatur.      R. Amen.

*Si sit femella, perge ad Orationem: Deus cæli & terræ. ut infra pag. 9.*

*O r e m u s.*

**D**eus Abraham, Deus Isaac, Deus Jacob, qui Moyli famulo tuo in monte Synai apparuisti, & Filios Israël de terra Ægypti eduxisti, deputans eis Angelum pietatis tuæ, qui custo-

custodiret eos die ac nocte : te quæsumus Domine, ut mittere digneris S. Angelum tuum qui similiter custodiat & hunc famulum tuum & perducatur eum ad gratiam Baptismi tui. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

*Exorcismus.*

**E**rgo maledicte Diabole ! recognosce sententiam tuam, & da honorem Deo vivo & vero, da honorem Jesu Christo Filio ejus & Spiritui sancto Paraclito & recede ab hoc famulo Dei (N.) quem Deus & Dominus noster Jesus Christus ad suam sanctam gratiam & benedictionem, fontemque Baptismatis dono suæ gratiæ vocare dignatus est. Et hoc signum sanctæ † Crucis, quod nos fronti ejus damus, tu maledicte diabole ! nunquam audeas violare, per eundem, qui venturus est judicare vivos & mortuos & sæculum per ignem. R. Amen.

*O r e m u s.*

**D**eus immortale præsidium omnium postulantium, liberatio supplicum, pax rogarum, vita credentium, resurrectio mortuorum : te invoco super hunc famulum tuum N. qui baptismi tui donum petens, æternam consequi gratiam spiritali regeneratione desiderat.

*Sacerdos hic suppositâ manu suâ capiti infantis, offerat eum Deo, dicens :*

Accipe eum Domine, & quia dignatus es dicere ; petite & accipietis, quærite & invenietis ; pulsate & aperietur vobis, petenti itaque præmium porrigere, & januam pande pulsanti, ut æternam cælestis lavacri Benedictionem † con-

secutus, promissa tui muneris regna percipiat, per Christum Dominum nostrum. Amen.

*Repet.* Ergo maledicte. *ut supra.*

*Exorcismus.*

**A**udi maledicte Sathana, adjuratus per nomen æterni Dei & Salvatoris nostri Jesu Christi Filii ejus, cum tua victus invidia tremens gemensque discede, nihil tibi sit commune cum hoc servo Dei; (N.) jam cœlestia cogitante, renuntiante tibi & sæculo tuo, & beata immortalitate victuro. Da igitur honorem adveniēti Spiritui sancto, qui ex summa cœli arce descendens, perturbatis fraudibus tuis, divino fonte purgatum pectus, id est, sanctificatum Deo templum & habitaculum perficiat, ut ab omnibus penitus noxis præteritorum criminum liberatus hic servus Dei (N.) gratias perenni Deo referat semper & benedicat Nomen ejus sanctum in sæcula sæculorum. Amen.

*Exorcismus.*

**E**xorcizo te immunde spiritus in nomine + Patris & + Filii & + Spiritus sancti, ut ex-eas & recedas ab hoc famulo Dei (N.) ipse enim tibi imperat maledicte Diabole atque damnate, qui pedibus suis super mare ambulavit, & Petro mergenti dextram porrexit.

*Repet.* Ergo maledicte Diabole. *ut supra.*

*Hic immediatè dicit Orat. Æternam. ut infra pag. 10.*

*Super femellas tantum Orationes dicendæ sequentes:*

Deus

**D**eus Cœli & Terræ, Deus Angelorum, Deus Archangelorum, Deus Patriarcharum, Deus Prophetarum, Deus Apostolorum, Deus Martyrum, Deus Confessorum, Deus Virginum, Deus omnium bene viventium: Deus cui omnis lingua confitetur, & omne genu flectitur, cœlestium, terrestrium & infernorum, te invo-co super hanc famulam tuam (N.) ut perducere eam digneris ad gratiam Baptismi tui. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

*Repet. Ergo maledicte. ut sup.*

*Super fœmellas tantum.*

**D**eus Abraham, Deus Isaac, Deus Jacob; Deus qui Tribus Israël de Ægyptiâ servitute liberasti, & per Moysen famulum tuum de custodia Mandatorum tuorum in deserto monuisti, & Susannam de falso crimine liberasti: Te supplex deprecor Domine, ut liberes hanc famulam tuam (N.) & perducere eam digneris ad gratiam Baptismi tui. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

*Repet. Ergo maledicte. ut sup.*

*Super fœmellas Exorcismus.*

**E**xorcizo te immunde spiritus per † Patrem, & † Filium & † Spiritum sanctum, ut exeas & recedas ab hac famulâ Dei (N.) ipse enim imperat tibi maledicte, damnate atque damnan-de, qui cœco nato oculos aperuit, & quatri-duanum Lazarum de monumento resuscitavit.

*Repet. Ergo maledicte. ut sup.*

*Super baptizandum sive sit masculus sive femella. Et potest etiam super utrumque dici:*

*O r e m u s.*

**Æ**ternam ac justissimam pietatem tuam deprecor, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, luminis & veritatis Auëtor, super hunc famulum tuum (N.) ut digneris eum illuminare lumine intelligentiæ tuæ; munda eum & sanctifica, & da ei scientiam veram, ut idoneus efficiatur accedere ad gratiam Baptismi tui, teneat spem firmam, consilium rectum, doctrinam sanctam: ut aptus sit ad percipiendum gratiam Baptismi tui. Per Christum Dominum nostrum. *R.* Amen.

*Sequitur Evangelium.*

*Sac. Dominus vobiscum.*

*R. Et cum Spiritu tuo.*

*Sequentia S. Evangelii secundum Marcum.*

*R. Gloria tibi Domine.*

*Hic Cruce signet baptizandum in fronte, ore, & pectore.*

**I**n illo tempore: Offerebant Jesu parvulos, ut tangeret illos. Discipuli autem comminabantur offerentibus. Quos cum vidisset Jesus, indignè tulit; & ait illis: Sinite parvulos venire ad me & ne prohibueritis eos; talium enim est Regnum Dei. Amen dico vobis: quisquis non receperit regnum Dei velut parvulus, non intrabit in illud. Et complexans eos (*hic imponat manum super caput baptizandi*) & imponens manus super illos, benedicebat eos. Pax tibi.

*Hic*



*Hic moneat circumstantes, ut pro salute baptizandi secum orent Credo, Pater & Ave. Ponensque manum super caput baptizandi dicat: Credo Pater & Ave &c.*

*Hic committat Sacerdos Patrinis, ut informant baptizandum de Fide & Oratione Dominica, Præceptis Decalogi & Ecclesiæ. Deinde iterum ponat manum super caput ejus dicens:*

Nec te lateat Sathana imminere tibi pœnas, imminere tibi tormenta, imminere tibi diem judicii, diem supplicii sempiterni, qui venturus est velut Clibanus ardens, in quo tibi ac universis Angelis tuis sempiternus veniet interitus. Proinde damnare adque damnande, da honorem Deo vivo & vero, da honorem Jesu Christo Filio ejus & Spiritui sancto: in cujus nomine atque virtute præcipio tibi, quicumque es, spiritus immunde, ut exeas & recedas ab hoc famulo dei (N.) quem hodie Deus & Dominus noster Jesus Christus ad suam sanctam gratiam & benedictionem, fontemque Baptismatis dono Spiritus sancti vocare dignatus est; ut fiat ejus templum per aquam regenerationis in remissionem omnium peccatorum, in nomine ejusdem Domini nostri Jesu Christi, qui venturus est judicare vivos & mortuos & sæculum per ignem. Amen.

*Deinde Sacerdos expuat in manum sinistram & cum pollice manus dextræ accipiat de saliva sua, & tangat aures & naves baptizandi, dicens: ad aurem dextram Ephpheta, quod est Adaperire. † Ad naves: In odorem suavitatis. † Ad aurem sinistram: Tu autem effugare Diabole: appropinquabit enim judicium Dei. †*

*His*

*His ritè peractis itur ad fontem & dum pectus & scapulae inunctioni nudantur, Sacerdos Oleum cum Chrismate affert & propè fontem facie ad orientem conversa vocato nomine baptizandi repetit interrogationes sequentes, respondente Patrino vel Patrina:*

*Q. Widersagst du dem Teufel?*

*R. Ich widersage.*

*Q. Und allen seinen Werken?*

*R. Ich widersage.*

*Q. Und aller seiner Pracht?*

*R. Ich widersage.*

*Q. Glaubst du in Gott Vater allmächtigen Schöpfer Himmels und der Erde?*

*R. Ich glaube.*

*Q. Glaubst du in Jesum Christum seinen einzigen Sohn unsern Herrn, der gebohren ist und gelitten hat?*

*R. Ich glaube.*

*Q. Glaubst du auch in den heil. Geist, eine heilige allgemeine Kirche, Gemeinschaft der Heiligen, Vergebung der Sünden, Auferstehung des Fleisches, und ein ewiges Leben?*

*R. Ich glaube.*

*Deinde intincto pollice in oleo Catechumenorum, faciat Crucem in pectore & inter scapulas super dorsum baptizandi, quem tunc tenebunt Patrini inter manus, dicens:*

*Et ego te linio Oleo salutis † in Christo Jesu † Domino nostro, ut habeas vitam æternam & vivas in sæcula sæculorum. Amen.*

*Dein-*

*Deinde quærat Sacerdos à baptizandi Patrini.*

*Q. Wollt ihr das Kind getauft haben?*

*R. Ja Herr.*

*Sac. Nennet das Kind. R. (N.)*

*Deinde Sacerdos diligenter quærat de Infante ab obstetrice & aliis, an sit baptizatus, dicendo in vulgari:*

*Ist das Kind getauft? vel Ist das Kind gegetauft?*

*Si certè cognoscat infantem ritè in aqua sub debita verborum formâ baptizatum, tunc nec simpliciter nec sub conditione rebaptizandus; sed ea faciet, quæ post Baptismum fieri solent; at si verè dubitat, (quod semper tutius) An ritè aquâ naturali & sub debita verborum forma baptizatus, tunc nominato ejus nomine baptizandus sub conditione sequenti:*

*(N.) Si es baptizatus, non te rebaptizo, sed si non es baptizatus, ego te baptizo in nomine † Patris, & † Filii & † Spiritûs sancti. Amen.*

*Si verò non est baptizatus priùs, tunc nominato nomine ejus, debet ipsum baptizare simpliciter sine conditione, sub hac forma verborum:*

*(N.) Ego te baptizo in nomine † Patris & † Filii & † Spiritus sancti. Amen.*

*Optimus baptizandi modus est tenere puerum manu sinistra, & manu dextra per aquam fundere super caput pueri, ut per scapulas ejus defluat, simul dicens:*

*(N.) Ego te &c.*

*Deinde*

*Deinde suscipiant Patrini infantem & teneant super fontem, & Sacerdos intincto pollice in Chrismate ungat Infantem in vertice seu summitate capitis & non in fronte ad modum Crucis, dicens:*

Omnipotens Pater Domini nostri Jesu Christi, qui te regeneravit ex Aqua & Spiritu sancto, quique tibi dedit remissionem omnium peccatorum (*hic inungit*) ipse te liniat † Chrismate salutis in Christo Jesu Domino nostro, in vitam æternam. R̄c. Amen.

*Deinde ponat Mitram, seu Linteolum candidum super caput inuncti, dicens:*

(N.) Accipe vestem candidam, sanctam & immaculatam, quam perferas sine macula ante Tribunal Christi, ut habeas vitam æternam.

R̄c. Amen.

*Deinde sale fricato pollice & lavatis supra fontem manibus procedat Sacerdos ad Altare, & si baptizatus sit adultus, communicet. Si verò sit infans, ponat Sacerdos de vino in os ejus, dicens:*

(N.) Hujus vini perceptio sit tibi in salutem æternam corporis & animæ. Amen.

*Deinde det baptizato candelam, si vero Infans est, ipse eam teneat cum Patrino & dicat:*

(N.) Accipe lampadem ardentem, custodi Baptismum tuum, ut cum venerit Dominus ad nuptias, possis occurrere ei in Aula cœlesti, & vivas in sæcula sæculorum. Amen.

*Postremo dicit: Vade in Pace † vel Pax tecum † Fides tua te salvum fecit.*